



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

v. Sed tres mentis operationes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

se uniuntur & componuntur , nam prædicatum distinctum aliquo modo à subjecto , & compositio inter ea apprehenditur in actu exercito , non verò in actu signato , quod aliud non est , quam rem inadæquate & diversimodè concipere & ratione distinguere , & dein rem ut cognitam uno conceptu affirmare de eadem re ut cognita alio conceptu. Quinimò dato , denominations logicas seu intentiones secundas objectivas esse entia rationis , adhuc non erunt objectum directum Logices , cum Logica eas solùm consideret directè secundūm formam denominantem ; sive enim per formas illas ficticias resultantes à talibus cognitionibus formaliter constituantur universale prædicatum &c. sive per ipsas cognitiones fingentes tales formas , Logica ( cuius objectum debet in se posse dirigi ) adhuc circa illas formas ficticias versari nequit immediate , utpote in se indirigibiles & dirigibles tantùm in cognitionibus , à quibus resultant.

V. Quare operationes intellectus sunt objectum Logices ; quidquid enim in

A § Logica

Logica , directè cognoscitur , & ab ea dirigitur , sunt universalia , definitiones , syllogismi &c. quæ omnia formaliter sumpta sunt intellectiones ; quæ licet etiam ut rectæ sint entia physica , id est , non fictitia , non sunt tamen entia physica , id est , carentia omni artificio , adeoque in tantum non sunt considerationis physicæ . Consistit autem harum intellectuum dirigibilitas , uti & regularum logicarum directivitas in eo , non quod operationes semel rectæ fieri possint malæ , vel contra ( hoc enim fieri implicat , cum rectitudo & irrectitudo ipsis operationibus identificetur ) sed quod intellectus vi regulæ seu cognitionis dirigentis determinetur ad operationes per entitatem suam rectas producendas aut continuandas , vitandasque aut abjiciendas irrectas per entitatem suam , quæ loco rectarum prodire possent . Insuper opus non est , ut objectum sit prius realiter scientiâ , cum pateat contrarium in scientiis speculativis , & objectum cognitionis practicæ sit tantum prius intentione & prioritate rationis seu essendi

essendi consequentiâ , quatenus bene infertur : cognitio est , ergo objectum est , non contra . Neque opus est objectum materiale scientiæ practicæ posse realiter separari à formalî , contrarium enim debet admitti in multis actibus Ethicæ & Theologiæ practicis ; quare sufficit hoc ab illo distingui ratione , ita ut operatio confusè concepta sub ratione intellectionis , abstrahendo à rectitudine & irrectitudine dicatur objectum materiale , concepta dein clarè ut recta dicatur objectum formale . Unde neque opus est objectum scientiæ practicæ materiale præexistere formalî , & esse realiter indifferens ad recipiendum formale ( id enim solum requiritur ad inductionem physicam objecti formalis realiter distincti ) sed sufficit abstrahendo à rectitudine concipi tanquam quid præexistens & indifferens ad eam .

VI. Tam autem apprehensio simplex ( qualis est quâ objectum indivisiibiliter instar unius apprehenditur V. G. quâ apprehendo *animal* ) quam complexa)